



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

13. Euthymius eodem curru in exilium vehitur, quo S. Ambrosium euehere volebat: Vxor eodem mariti feretro ad sepulchrum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

XIII.

Omniū elementorū exempla, quæ recensuimus, in terrâ contigerunt, quamobrem etiā terræ possunt ascribi. Addam tamen vnum alterumquē adhuc peculiare, quod circa D. Ambrosium euenit, qui etsi, vt mundi incola, cum D. Paulo, non existimauit, se hîc habere manentem ciuitatem, & vt in prouerbio est, terram pro terra libenter commutasset, diuino tamen præsidio defensus est, ne in exilium mitteretur, eo ipso misso, qui illi exilium parauit. Ita enim de eo scribit S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus. *Mediolanum reuersus, innumeras insidias & persecutions passus est à Iustina Imperatrice matre Valentiniani iunioris Ariana, muneribus & honoribus contra eum populos concitante. Cùm autem multi ex Arianis præcipuè eum in exilium mittere niterentur, vnus cateris infelicioꝝ (nomine Euthymius) in tantum furorem excitatus est, vt domum sibi iuxta Ecclesiam Ambrosij locaret, hac de causa, vt in eadem quadrigam paratam haberet, quò procurante Iustina facilius raptum in exilium deportaret. Sed Dei iudicio ipsa die, qua eum rapere arbitrabatur, in eadem quadriga de eadem domo in exilium ipse pulsus est. Cui tamen Ambrosius reddens bona pro malis sumptus & necessaria ministravit. Ita sæpe quis sibi parat malum, quod alteri parat, & qua re alium vult in exilium vehere, vehitur ipse. Memini Augustæ aliquando virum ita viribus defectum, vt pro deposito haberetur; cui vxor futuro marito funere lata, iam capulum parari iusserat, & ante oculos constituebat. Hoc vbi vidit maritus nolens vxori tam improbæ moriendo gratificari, animo pariter ac viribus resumptis è lecto surrexit, offam comedit, & non secus, ac si numquam ægrotasset, foras ambulauit. Quod videns vxor in insaniam versa ipsa decubuit, & defuncta in illo ipso feretro est elata, quod curauerat pro marito preparari; inciditq; in foueam sepulchri, quam marito fecit, sed ad D. Ambrosium reuertamur.*

S Antonin.
part 2. tit. 10.
c. 7. §. 1.

XIV.

Alterum itaque eiusdem iustissimæ diuinæ vindictæ exemplum idem author, ibidem memorans ait: *Quadam die Ambrosius ad palatium Macedonij magistri officiorum, vt pro quodam intercederet, venit. Sed cùm fores clausas inuenisset, nec intrandi copiam habere potuisset, ait: Et tu quoque ad Ecclesiam venies, & non ianis clausis, sed apertis ingredi non valebis. Post aliquod tempus timens Ma-*

cedonium